



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OBUASIENSIS*** NOVA DIOECESIS CONDITUR IN GANA, OBUASIENSIS APPELLANDA Apostolicum opus ab ipso Domino Nobis commissum summa diligentia explicare nitimur, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita sententia, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Obuasiensem* appellandam, meridiana parte Sedis Kumasiensis distracta, ita ut territorium districtuum civilium vulgo « Adansi East, Adansi West, Amansie East, Amansie West et Bosomtwe-Kwanwoma » nova dioecesis posthac complectatur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Litoris Capitis suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Obuasi appellatur, et ibidem templum Sancti Thomae ad statum Cathedralis Ecclesiae attollimus. Canonicorum autem capitulum et dioecesani consultores ad iuris normas eligantur. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensis et in Gana Apostolicum Nuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 8, pp. 676-677 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana